



Q.
42
18



De Sileno et Satyrus

Ph
850

AD ACTVM
RENVNCIATIONIS
BON. ART. ET PHILOSOPHIAE
BACCALAVREORVM

D. XVII. DECEMBR. A. C. cIo Iccc XXXV.

SOLEMNITER CELEBRANDVM

OFFICIOSE INVITAT

COMMVNITATIS PHILOSOPHICAE

EX-DECANVS

D. GEORG. PHILIPP. OLEARIVS

GRAECAR. ET LATINARVM LITTERARVM

PROFESSOR ET ACADEMIAE DECEM-VIR.



12

AD BACUM
REMYNOSTATIONE
DOM ARMET THESSORIERE
BACONATAVREGRVM
EX-DECANVS
COMMUNITATIS THESSORIERE
EX-DECANVS
I GEORGE PHILIPSONE
COMMUNITATIS THESSORIERE
LAWRENCE ET ALIIS THESSORIERE





HEgesiam Cyrenaicum *πεισιθάναντον*
dictum, neutiquam spe melioris
vitae, quam, quae erant placita
Sectae eius, nullam statuere pote-
rat, quin potius repraesentatio-
ne malorum vitae, eorumque
miseranda imagine audientium
pectoribus inserta, multis volun-
tariae mortis oppetendae cupiditatem ingenerasse, nu-
per a nobis pluribus enarratum fuit: ac simul diximus,
totam huius Philosophi vim persuadendi, sine dubio di-
cto, in scriptis paganorum celebratissimo, innixam fuisse:
*Optimum esse non nasci, proximum autem quamprimum
mori.* Quam, teste Erasmo in Chiliadibus, vetustissi-
mam, et omnium literis celebratam sententiam vsurpat
Plinius Secundus, in praefatione septimi libri: vbi col-
lectis



lectis innumerabilibus, tum natiuitatis nostrae periculis, tum vitae incommodis, ita concludit: *Itaque multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocyssime aboleri.* Huius item sententiae meminit Tullius non solum L. I. Quaestionum Tusculanarum c. 48. ubi eam a Sileno profectam esse dicit, qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse nimirum regem, non nasci homini longe optimum esse, proximum autem quamprimum mori: verum etiam libro de Consolatione eam his verbis proposuit, teste Lactantio: non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitae: Proximum autem, si natus sis, quamprimum, tanquam ex incendio effugere violentiam fortunae. Graecos quoque auctores eandem subinde commemorare videas. Ita Plutarchus Consol. ad Apollon. pariter ac Athenaeus, aliique cum Cicerone, Silenum faciunt Midae captiuum. Quamuis, obseruante Dauisio, ad eius locum citatum, Xenophonti, Maximo Tyrio, ac Himerio apud Photium Satyrus nominatur. Non raro quidem Satyros et Silenos confundere Auctores Dauisius ait, esse tamen inter eos discrimen; qua de re plura legi possunt apud Isaacum Casaubonum et Iacobum Perizonium. Certe Aelianus Silenum dicit esse Nymphae filium, et Deo quidem inferiorem natura, at homine et morte superioriorem. Quamuis igitur multi Veterum crediderint, Silenos et Satyros fuisse eosdem, nisi quod Sileni appellentur proprie, qui inter Satyros sint Vetuli senes; aliique Silenos appellatos antiquissimo tempore ce-
 feant, qui postea dicti sint Satyri. Hinc Nicandri Scholiastes ad Alexipharmaca: *ὅς ἡμεῖς Σατύρους λέγομεν, οἱ Ἀρχαῖοι*

Lactant.
L. III. c. 19.

Plutarch.
T. II. p. 115.
Athenaeus
L. II. p. 45.

Xenoph. de Exped.
lib. I.
p. 247.

Max. Tyrius
Dissert. XXX.
Photius Cod.
CCXLIII.

Casaubonus
de Sat. Poesi
lib. I. c. 2. p. 53.

Perizon. ad
Aeliani V. H.
lib. III. 18.

Ἀρχαῖοι Σιληνὸς ἐκάλεον, ἀπὸ τῆ σιλλαίνειν, ὃ ἐστὶ λαιδορεῖν. **Ve-**
rum tamen cum non solum gemmae ac sculpturae di-
 uersos illis tribuant pedes, Sileno humanos, aequae ac
 Lucianus et alii, at Satyris caprinos: ut et quod eos
 distinguat diserte non tantum Lucianus, sed et Euri-
 pides in Cyclope, ubi Silenum inducit Satyrorum pa-
 trem, tum Plato ac Diodorus alique: credere itaque
 mauult Perizonius, Silenum fuisse unicum, et Homi-
 nem, Dionysi seu Bacchi educatorem, qui dein, ut nu-
 trices solebant suas alumnas, sic ipse Bacchum ubique
 sit secutus, quasi comes. Sed huic Perizonii senten-
 tiaepugnans, quod a Platone in Conuiuio Silenus in-
 ducatur, ut reconditae atque compositae sapientiae Deus.
 Vnde a Veteribus Virgilio, Cicerone, Plutarcho, Ae-
 liano differens exhibetur, ex interiori philosophia, de re-
 bus naturalibus ac moralibus. Quam ob causam Dio- *Diod. Sic.*
 dorus Siculus quoque eum non solum dicit παιδαγωγὸν *I. III. p. 212.*
 καὶ τροφέα Διονύσε· verum etiam εἰσηγητὴν καὶ διδάσκαλον γι-
 νόμενον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων, καὶ μεγάλα συμβάλλεσθαι
 τῷ Διονύσῳ πρὸς ἀρετὴν τε καὶ δόξαν. *Doctorem praestantissi-*
marum artium, et multa Baccho contulisse ad virtutem et
gloriam. Longe autem probabilius est, Silenos ac Sa-
 tyros unius eiusdemque generis, Daemonesque extitisse,
 qui inter paganos, Daemones, ipso Spiritu S. teste, re- *Pf. 106. v. 37.*
 ligioso cultu prosequentes, adeoque sub eorum domi- *I. Cor. X. 23.*
 nio ac potestate constitutos, sub hac specie hominibus
 haud raro apparuerint. Certe Pan, et capripes et syl-
 uestris Deus, atque in agris potissimum cultus, inter
 potissimos Aegyptiorum Deos fuit, teste Diodoro Si- *Diod. Sic.*
 culo ac Herodoto; quin imo Hircorum cultum non so- *L. I. c. 16.*
 lum inter Aegyptios, Graecos ac Latinos viguisse *Herodot. L. II.*
 multis *c. 46.*

Bochartus
Hieroz. P. I.
L. II. c. 53.
Leuit. XVII. 7.

multis comprobari posset testimoniis, quae magno numero collecta exhibet Bochartus: verum etiam ab Ethnicis eundem didicisse videntur Hebraei, electus Dei populus. Quamobrem interdixit Deus victimas mactare **שִׁירִים** i. e. hircis, nam haec vox notat pilosum vel hircum, vti quoque apud Latinos inter hircum et hirtum siue pilosum magna intercedit conuenientia, C. et T. permutatis, cuius commutationis exempla apud Graecos occurrunt. Sic pro *κῆνος οἱ Δωριεῖς τῆνος λέγεται τὸ Κτρέποντες εἰς τ.* vti Moschopulus obseruat *περὶ χερδῶν* p. 15. et aurium sordes, vulgo *κυσέλη*, etiam dicuntur *κυσέλη*, teste Hesychio: *κυσέλη*, inquit, ὁ ἐν τοῖς ὠσὶ ἕυπος. LXX. l. c. vertere *ματαιαῖς*. h. e. *vanis, futilibus, siue non Diis*. sed Aquila retinuit vocis proprietatem. Reddidit enim, *τριχῶντες*. vti Arias Montanus, *pilosos*. Speciatim vero **שִׁיר** est hircus, vt Leu. IV, 23. XVI, 5. ac vt Vossius dicit de Ortu et Pr. Id. l. I. c. 8. *μετωνυμικῶς* Daemon hircina forma. Qua specie Diabolum saepe se praebere conspiciendum crediderunt Zabii, teste Maimonide. Id quod non latuit Hebraeos; siquidem Kimchius non semel scribat, **שִׁירִים** i. e. hircos vocari Daemones. Quod ipsum legere est in Aben-Ezrae commentariis, super Leuitici verba iam supra allegata c. 17. v. 7. Et LXX, qui h. l. **שִׁירִים** *ματαιαῖς* verterant, idem vocabulum Iesaiæ XIII, 21. *δαιμόνια* transferre non dubitant. Hinc profecto ortum traxisse videntur *Satyri*, paganis sic dicti, estque nomen *Satir* vel *Satirus* ipsissimum Hebraeum **שִׁיר** SAHIR, litera t interposita, et adspirationem naturalem, quae est in littera *y*, compensante. Quemadmodum *Satar* Arabibus quoque hircum notare obseruat Samuel Bochartus. Quod ad quaestionem

Maimon. Mo-
reb Neboch.
l. 3. c. 46.

Bochartus
Hieroz. P. I.
L. II. c. 53.

stionem attinet, an reuera Satyri in rerum natura ex-
titerint: non defuerunt quidem, qui eam affirmare vi-
dentur. Sane maximi Scriptores Plutarchus et B. Hieronimus, de veris Satyris, nonnulla memoriae prodi-
derunt. Qua super re duo summi Viri, Sam. Bochar-
ti, et Isaac. Casaubonus, prudenter ac pie ferunt senten-
tiam, nimirum quidquid de Satyris legimus, ex Poeta-
rum pictorumque fingendi licentia originem ducere,
secundum Horatii dictum de arte Poetica:

*Plutarch. T.I.
oper. in Sylla.
Hieronimus
in vita Pauli
Eremitae.*

- - - *Pictoribus atque Poetis,
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.*

at si quid visum eiusmodi fuerit, vel illudentis Daemo-
nis phantasma, vel naturae lusum fuisse. Nam, vt est
procax natura, potest quandoque hominem cornutum,
forte et capripedem producere: sed totos greges, et
genus huiusmodi legitimum creare, de quo ille Anto-
nianus Satyrus apud Hieronymum referebat, a vero-
similitudine abhorret. Etenim ille Satyrus S. Antonio
inter quandam saxosam conuallem obuiam factus, qui,
Hieronymo l. c. ita describente, fuerit haud grandis
homunculus, aduncis naribus, fronte cornibus aspera-
ta, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes de-
sinebat, interrogatus quis esset, respondit: Mortalem
se esse, et vnum ex accolis Eremitae, quos vario delusa
errore gentilitas, Faunos Satyrosque et Incubos vo-
cans, colat; legatione fungi gregis sui, precarique, vt
pro eo communem Dominum deprecetur, quem pro
salute mundi venisse cognouerint. Sed recte huic nar-
rationi, magni licet scriptoris, assentiri detrectat Bochar-
tus l. c. Non enim alios, inquit, seruat Christus, quam
quos



quos assumpsit. At non assumpsit angelos, multo minus daemones, aut Satyros, qui nusquam sunt, sed semen Abrahamae. Quae vero Plutarchus l. c. narrat de Satyro quodam capto, et ad Syllam adducto, quem ubi multi interpretes percunctati fuerint, quinam esset: quum vocem tandem edidisset, non quidem humanam vel claram, sed asperam, et omnino ex hinnitu equi et hirci balatu confusam, obstupuisse Syllam, et monstrum auersatum. Quae etidem Hieronymus, ad fidem narratiunculae suae de Satyro, qui S. Antonio apparuerit, conciliandam, adfert de alio quodam Satyro ad Constantinum adlato: quandoquidem, vniuerso mundo teste, Alexandriam istiusmodi homo viuis perductus, magnum populo spectaculum praebuerit, et postea cadaver exsanguie, ne calore aestatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, translatum sit: Haec ita sunt comparata, vt procul dubio monstra fuerint, in quibus lusit natura, ac legem suam migravit. Quo accedit, quod Plutarchus non adfirmet, sed referat famam; *Quos enim, ait, id est, dicunt, ferunt.* Quo fere vti solent Historiarum conditores, cum de rebus exponunt, de quibus ipsi dubitant, vti recte monuit Thomas Crenius ad librum Casauboni iam supra laudatum. Quod vero, Satyrorum specie, Daemones hominibus apparuerint, suasque exercuerint ludificationes, non solum Bochartus et Casaubonus lubentes concedunt: verum etiam Augustinus, de Syluanis et Faunis creberrimam famam esse, testatur, multosque confirmare, se expertos, vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non sit, audiisse, vt hoc negare impudentiae videatur. Vnde Plinius L. XII. C. I. *Quin et Syluanos, inquit, Faunosque,*

Augustin. *de*
C. D. L. XV.
c. 23.



nosque, et Deorum genera syluis, ac sua numina, tanquam
 et coelo attributa credimus. Hinc quoque Isidorus Fau- *Isidor. L. VIII.*
 nos, agrorum et sylvarum praesides, Graece Satyros, ἀπό *Etymolog. c. 17.*
 τῆς Φανῆς dictos esse testatur, quod voce, non signis
 ostendere viderentur futura. In lucis enim consule-
 bantur a paganis, et responsa illis non signis, sed voci-
 bus dabant. Certe in nemoribus Faunos oracula ca-
 nere solitos, ex Varrone colligi potest: *Fauni*, inquit,
Dii Latinorum, hos versibus, quos vocant Saturnios, in
syluestribus locis traditum est fari scritos. Quamuis au-
 tem nos non fugiat, eos, qui hoc saeculo nostro prae cae-
 teris videri volunt sapere, has et his similes sententias
 adunco suspendere naso, ac imbecillitati iudicii supersti-
 tiosorum, et meticulosorum hominum, adscribere: me-
 diam tamen quandam viam esse, recte iudicat Vitringa *Vitringa ad*
 eruditissimus, inter superstitionem et τὴν δοκησισοφίαν illo- *Es. XIII. 21.*
 rum hominum, qui quarum rerum aut φαινομένων cau-
 sas aut rationes ipsi non perspiciunt, eas ipsas res aut
 phaenomena fidenter negant, nunquam cogitantes,
 multa et infinita esse, inprimis in Oeconomia spirituum,
 quorum non intelligimus rationes, licet interea certissima;
 quibus proinde Plutarchi dictum hac super re probe ex- *Plutarch.*
 pendendum commendamus: Ἐνιοὶ φεύγοντες τὴν δεισιδαι- *T. II. p. 171.*
 μονίαν ἐμπίπτουσιν εἰς ἄθεότητά τεραχέων καὶ ἀντίτυπον, ὑπερπηδή-
 σαντες ἐν μέσῳ κεμένην τὴν εὐσεβείαν. *Quidam superstitionem fugientes, dum transiliunt in medio positam pietatem, in asperam pertinacemque incidunt impietatem.* Sed ut
 ad Silenum nostrum eiusque Oraculum apud Midam
 Regem editum reuertamur: Perizonii sententiam l. c.
 de vnico Sileno, eoque homine, vel propterea icidem pro-
 bare non possumus, quod omnes auctores veteres, vti

)(

Saty-



Athen. L. V.
c. 7. p. 199.

Nonnus in
Dionysiaca
l. 13.

Satyrorum, ita quoque Silenorum in plurali numero mentionem faciant: Sic Athenaeus L. V. de pompa Ptolemaei: ἠκολούθηον αὐτῷ Σάτυροι καὶ Σιληνοὶ ἑκατὸν ἑξήσφι Φανωμένοι. *Sequebantur illum Satyri et Sileni centum et viginti coronati.* Iterum: ἐφ' ὧν ἦσαν Σιληνοὶ καὶ Σάτυροι ἑξεφανωμένοι, *in quibus Satyri erant coronati et Sileni.* Nonnus quoque ita canit:

Καὶ λασίων Σατύρων Κενταυρίδος αἶμα γενέθλης.
Σιληνῶν τε Φάλαγγα:

Lambin. p. 443.
ed. Paris.

Virgil. Georg.
L. I. v. 165.

Joel. II. v. 24.

Euripid. in
Bacch.

Hispidorum Satyrorum sanguis generis aculeati, Silenorumque Phalangem. Nicander itidem Alexipharm. princip. plures Silenos, Bacchi ministros et nutricios introducit: *Ὡς δ' ἔποτ' ἀγρίεσσαν ὑπεθλίψαντες ὀπώρην, Σιληνοὶ κεραεῖο Διονύσοιο τιθνηοὶ, πρῶτον ἐπ' ἀφρίζοντι πτότῳ φρένα θωρηχθέντες etc. quemadmodum autem Sileni, Bacchi cornuti nutricii, agrestibus vis calcatis, primum potu spumante mentem armati, quod valet, ebrii facti etc.* prout haec verba explicantur a Lambino ad Horatium de arte Poetica. quamvis mystico potius sensu ideo Silenus semper ebrius indicatur, quia aliorum sit doctor. Doctorum enim pectora oportet esse madida, et plena doctrinis praestantissimis; quo spectat *mystica vannus Iacchi* apud Virgilium, quae propterea, Servio ad h. l. obseruante, ita dicitur, quod Liberi patris sacra, in cuius mysteriis vannus est, ad purificationem animae pertinebant: et sic homines eius mysteriis purgabantur. quae sane haud exiguam videntur habere conuenientiam cum promisso Dei, se daturum Doctores iustitiae, et sic impletum iri areas frumento, et redundatura torcularia musto et oleo. Quo spectare videntur non solum ea, quae Euripides refert ex historia

storia Bacchi, in quo Mosen expressum esse doctissimi
 mythologi, vt Vossius ac Huetius, multis euincunt ar- *Voss. l. c. l. l.*
 gumentis. vbi Tragoedus ille Bacchas, itidem vt Mo- *c. 30.*
 sen, virga aquas de rupe elicuisse, quin etiam vini riuos e *Huet. Dem.*
 terra excitasse, et mel et lac et suaues liquores huius- *Eu. Prop. IV.*
 modi, vt est in his versibus: *p. m. 116.*

Θύρσον δὲ τις λαβῆσ' ἔπαισεν εἰς πέτραν.

Ἔθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς.

Ἄλλη δὲ νάειθ' εἰς πέδον καθῆκε γῆς

καὶ τῆ δε κρήνην ἐξανῆκ' ὄνει Θεός.

Thyrsoque capto percutit quaedam petram.

Hinc limpidae undae protinus fons exilit.

Diuerberauit vt solum virga altera

Fontem meri profundit inde mox Deus.

Verum etiam ea huc pertinent, quae ad illius imitatio-
 nem Horatius, Baccho a se viso, eiusque doctrina perce- *Horat. L. II.*
 pta, de se scribit: *Od. XIX.*

Fas peruicaces est mihi Thyadas,

Vinique fontem, lactis et vberes

Cantare riuos, atque truncis

Lapsa cauis iterare mella.

Hinc secundum Etymologicum magnum Sileni dicun-
 tur *παρὰ τὸ σείεσθαι περὶ τὸν ληνόν.* Σειληνοὶ δὲ οἱ τὰς σαφυλαῖς
πατῆντες, παρὰ τὸ σείεσθαι ἐν τῷ ληνῷ. Quae vocis originatio
 an praeferenda sit ab Aeliano adlatae, qui Silenos dictos *Aelian. V. H.*
 ait ἀπὸ τῆ σειλλαίνεσθαι, quod est conuiciatoria scommata iace- *L. III. c. 49.*
 re, cum molesto quodam lusu: in praesenti disputare no-



lumus. Hoc tantum obseruare liceat: Aelianum quoque
 l. c. plures inducere Silenos. Neque argumentum Perizo-
 nii, pro sua sententia de vnico Sileno, eodemque homine
 a Satyris plane diuerso, adductum adeo magni esse vide-
 tur ponderis. Etenim quando dicit Perizonius: Gemmas
 ac sculpturas diuersos illis tribuere pedes, Sileno huma-
 nos, aequae ac Lucianum et alios, at Satyris caprinos;
 hoc falsum esse, quod Satyris caprini semper pedes tri-
 buantur, nos docet Gisbertus Cuperus, qui in porticu
 illustrissimi Ducis Mazarini se vidisse testatur statuam
 Satyri sine cornibus, capillitio modico, manu sinistra fi-
 stulam iunctam tenentem, pelle ferina ornatam, quod-
 que notandum, pedibus humanis: sed faciem ridentem,
 et illa, quae dixerit, insignia, dubitare se non sinere,
 quin ea statua Satyrus repraesentetur; quandoquidem
 et Horatius eos risores vocet, et veteres Etymologiam
 Satyri deduxerint, a *σασηρέναι*, quod more irridentium de-
 torto et deprauato ore essent, teste Aeliano lib. 3. *ποικ.*
c. 40. Σάτυροι δὲ ἀπὸ τῆ σασηρέναι, quam licet recte explo-
 dat, utpote carentem analogia, eruditissimus Casaubo-
 nus Lib. I. c. 2. de satyrica Graecorum poesi, exinde ta-
 men satis patere, quod risus et cachinni satyrorum pro-
 prii fuerint. Huc accedit, quod gemma vel sculptura,
 quam ex Leonis Augustini Parte I. ipse Perizonius ad l. c.
 Aeliani exhibet, non tantum Silenum, verum etiam Saty-
 rum quasi puerum, vtrumque non pedibus caprinis, sed
 humanis sistat. Vbi autem Perizonius Silenum, cui collo-
 quium cum Mida intercesserit, hominem extitisse sibi per-
 suadet, aperte contradicit Aeliano, qui hoc ipso loco iam
 supra citato: Νύμφης δὲ παῖς, inquit, ὁ Σειληνὸς ἔτος, Θεὸς
 μὲν ἀφανέστερος τὴν φύσιν, ἀνθρώπος δὲ κρείττων καὶ θανάτος ἦν. *Hic*
Sile-

Cuper. Obser-
uat. l. I. c. 12.

*Silenus erat Nymphae filius, et Deo quidem inferior natura, at homine et morte superior. Quod genus Daemones medios appellare solebant veterum paganorum Theologi. Quemadmodum Strabo quoque L. X. Satyros, Silenos, Bacchos, Tityros, daemones fuisse scribit, qui, ut crediderunt antiqui, caeterorum essent ministri. Ita ut Dii, interprete Augustino, excelsissimum locum teneant, homines infimum, Daemones medium. Nam Deorum sedem in coelo esse, hominum in terra, in aere Daemonum. Daemones igitur medios, quemadmodum Diis, quibus inferius habitant, postponendos, ita hominibus superius, quibus praeferendi sint. Habere enim cum Diis communem immortalitatem corporum, animorum autem cum hominibus passionem. Etenim Platonici cum scripturam ignorarent, neque naturam geniorum, neque differentiam Daemonum satis intellexerunt; quod nimirum alii boni, qui sunt Angeli beati, nuntii ad homines summi Dei τῆ πατρὸς αἰνδιῶν τε Θεῶν τε Patris hominum Deorumque, i. e. Angelorum, quos etiam sacrae litterae אלהים i. e. Deos vocant, vel πατὸς τῶν πνευμάτων Patris spirituum, uti adpellatur Hebr. XII, 9. alii vero mali, qui sunt ii, qui aerem hunc habitant, inuentores omnium scelerum, qui dicuntur *aeriae potestates*, D. Paulo κοσμοκράτορες τῆ σκοτίας τῆ αἰῶνος τῆς τῆς πνευματικῆς τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἔπερανλοῖς. mundi potentes tenebrarum huius saeculi, spiritus malitiae, qui sunt in rebus caelestibus; conditione ac statu longe hominibus inferiores, utinam modo semet ipsos eorum potestati ac dominio per peccatum non subiicerent! Haec ignorantia sacrarum litterarum itidem in causa est, ut Platonici eorumque vestigiis incautius,*

Augustin. de C.
 D. I. VIII. c. 14.



cautius, quam par erat, insistentes nonnulli Patres, vt Origenes, Tertullianus aliique, Daemones corporeos esse, corpore nimirum tenuissimo saltem, ac subtilissimo, quod *δαιμονια* adpellabant, instructos statuebant, a qua sententia ipse Augustinus l. c. minime abhorre videtur. Quae itidem causa est, cur Maximus Tyrius l. c. nostrum Silenum a Mida Rege dolo captum, vino scilicet ac ebrietate, postquam fonti cuidam non procul Celaenis in Phrygia a Xenophonte viso et narrato in primo *Ἀναβασ.* loco aquae vinum fuerat infusum, prout Athenaeus aliique auctores veteres referunt, vocat *Σάτυρον καὶ δαίμονα φιδρονον*, *Satyrum et vinosum Daemonem*. Simile fere quid narrat de Satyro quoque, ab Apollonio Tyanensi itidem vino capto, Philostratus in vita eius. Amphoris enim vini quatuor Aegyptiis infusis aquario, ex quo pecudes vici illius bibere consueuerant, Satyroque ab Apollonio inuitato, occulte etiam aliqua minato; Satyrum non apparuisse quidem, vinum tamen, quasi biberetur, subsedisse, tandemque penitus exhaustum fuisse. Quo facto Apollonium paulo post Satyrum in antro Nympharum dormientem comitibus suis ostendisse. Haec tamen palam falsa et impudenter ficta esse a Philostrato, scriptore quouis poeta fabuloso, Isaacus Casaubonus iure meritoque censere videtur. Verum plura de nostro Sileno eiusque imprimis effato, quid homini longe sit optimum, dicenda in aliud tempus reicere necesse habemus. Nunc enim nobis in medium producendi sunt, non equidem Satyri vel Sileni, sed Viri Iuuenes Nobilissimi ac Ornatissimi omnibus egregiis Virtutibus, quas docentibus ac discipulis in Silenis ac Satyris Veterum sapientia ob oculos

Athenaeus
L. II. p. 45.

Philostr. L. VI.
c. 27.

oculos ponere voluit, maxime conspicui. Vti enim ex allatis satis patere arbitramur, sub Silenorum symbolis inprimis quoque sapientiae Doctores repraesentari, ita Bacchus et Silenus huius discipulus, a Virgilio et Horatio, Nymphas et Satyros in syluis et rupibus, arcana quaedam docere finguntur praecepta. Virgilius Ecloga VI. Silenum inducit de principiis, ac conditu rerum, et vetustissimis rebus aliis, canentem. Horatius autem l.c. tale fundit carmen:

Bacchum in remotis carmina rupibus

Vidi docentem (credite posteris)

Nymphasque discentes et aures

Capripedum Satyrorum acutas.

Vbi doctissimus Interpres Cruquius per nymphas intelligit animos auditorum simplices, paratos ad discendum, ab omni terrenae faecis cupidine liberos, non fordidos, non versipelles, dolosos, sed apertos et candidos. Satyri autem capripedes sunt ad discendum veloces, et irrequieti, et auriti, siue acutis auribus instructi, id est attenti audiendique cupidi, nec non aures oblongas habentes, ad exterorum quoque mores, et instituta vitae cognoscenda. Tales, inquam, Candidatos in praesens producimus in publicum honoris theatrum, qui ab ineunte aetate doctrinas verae sapientiae ac humanitatis auide imbiberunt, quos proinde Amplissimus Philosophorum Ordo, instituto haud ita pridem examine, dignos iudicavit, qui prima in Philosophia laurea ornarentur. Sunt autem secundum ordinem receptum collocati, prout scilicet Sacris nostrae Academiae initiati sunt, sequentes:

IOANN.



94 T 6 550

IOANN. GOTTFRIEDVS SCHMVTZERVVS, Cleidena Misn.

IOANN. GODOFREDVS SIEBER, Lipsiensis.

ADRIANVS DEODATVS STEGER, Lipsienf.

CAROLVS CHRISTIANVS WOOG, Dresdenf.

IOANN PETER NETTO, Lipsiensis.

ANDREAS POLYCARPVS LEYSE-
RVS, Merseburgensis.

IOANN. GOTTFRIED HAVPT-
MANN, Haynenf. Misn.

SIMON DECKERT, Schoenfeld-Thuring.

GEORG. GOTTLIEB FEIGE, Kreiba-
Silef.

ALBERTVS FRICKIVS, Vlmensis.

Quibus X. politicissimis Dominis Candidatis vt primi in philosophia honores solemnii Maiorum ritu conferrentur, proximus Saturni dies XVII. Decembr. ex sententia ac decreto Ordinis Philosophorum praestitutus est. Quam panegyrim paulo post horam IX. in Auditorio Maioris Principum Collegii instituendam, vt *Magnificus Academiae Rector, Comites illustrissimi, Proceres vtriusque Reip. grauissimi, nec non Generosissimi ac Nobilissimi Ciues Academici*, sua splendidissima ac exoptatissima praesentia ornare haud dedignentur, ea, qua par est, obseruantia ac humanitate rogamus. P.P.Dom.

III. Aduent. A.R.S. MDCCXXXV.

LIPSIAE,
LITERIS LANGENHEMIANIS.

M.C.



ULB Halle
004 712 153

3



